



DE
PORCIS SACRIS ET MYSTICIS
P R A E F A T V S

AD
ORATIONEM ANNIVERSARIAM
BENEFICIO
ECCARDO-RICHTERIANO
SACRAM
OBSEQUIOSE
INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN.
RECT.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXLVI.

Ex litterarum sacrarum monumentis constat, Deum non solum certorum ciborum discriminis populo suo praecepisse, sed etiam animalium alia ad sacrificandum elegisse, alia repudiasse. Cuius instituti caussas alii alias tradunt. Quidam enim liberrimum super Numinis voluntatem pro lege agnoscendam, eamque irrandam potius, quam rimandam esse, censem. Quae Petr. CVN A EI est sententia, hoc super argumento ita disputantis: a) Longa in capite Lenitici XI. exstat numeratio eorum animantium, quorum usq; tactus polluerentur Hebrei. Multa illuc in censu impurorum posita sunt, non naturae aut rationis dictamine, sed incerta Numinis voluntate. Itaque caussas earum rerum exquirere, anceps est, nec ideo assequere. Quis enim nostrum tam arroganti fiducia est, vt, se posse ea explicare, existimet? Alii summum legoslatorem hoc praecepto sanitati populi sui prospexit, arbitrantur, sicutque eum commonefecisse, vt sobrie vivoret, mentemque ab omni impietate illibata seruaret. b) Alii autem Deum quaedam animalia comedti, et ad cultum sacrum adhiberi vetusse, statuunt, vt a certis vitiis homines avocaret, ad quae in primis proclives videbantur, foeditatem in porco, ignorantiam in noctua, rapinas in accipitre, salacitatem in cane, etc. detestans. c) Sed solidiores, grauioresque suppetunt rationes, quibus diuinus legislator permotus alios cibos comedendos perinjisit, alios interdixit, et alia animalia mundanda, alia immunda proutuntiauit. Nam quoniam gentem Iudaicam in peculium ceteris a populis separaverat, peculiaribus etiati legibus illa erat distinguenda. Andiamus Dominum ipsum loquentem: d) Ego Dominus Deus vester vos a ceteris nationibus separavi: ergo et vos separatote iumentum mundum ab immundis, et auem param ab impura, neque polluitote animas vestras, sed mibi sancti esote. Praeterea idem Deus eundem populum hac ratione a profanis ritibus Aegyptiorum, quorum ex seruitute eum liberauerat, retrahere volebat, quod his indicat verbis: e) ne animas vestras omni reptili inquinate, quia vos ex terra Aegypti eduxi, vt vos me deum coleretis. Namque Aegyptios multa animalia abhorruisse, ex annalibus sacris intelligitur, vbi Pharaeo, rex Aegypti, legitur Mosen aduocasse, eique permisisse, vt Israelitae Deo suo, sed suis in finibus, sacrificatum irent. Cui autem Moses respondit, commode hoc fieri non posse, quia ea sacra Deo suo ex mandato divino essent facturi, quae Aegyptii detestarentur, quae si praesentibus his facerent, non posse, quin ab ipsis lapidarentur. f) Alia vero ad sacrificia adhibuisse eosdem, HERODOTVS copiose exponit, g)

Et

a) de republ. Hebr. L. II. c. 24.

b) Buddei Diff. de eo, quod Deo abominabile est. (Hal. 1604.) p. 22.

p. 118.

d) Leu. XX, 24 sq.

VIII, 25 sqq.

b) Buddei Diff. de eo, quod Deo abominabile est. (Hal. 1604.) p. 22.

c) Spencer de Leg. Hebr. rit. L. I. c. VII.

e) Leu. XI, 44. 45.

f) Exod.

g) in Euterp. Cap. 45. p. 106.

Et horum in numero etiam porcum fuisse, idem scriptor eodem loco
his verbis testatur: Αιγυπτίοι Ήλιος Σελήνη καὶ Διονυσώ αὐτῇ πάνσεληρῳ τεσ
τὸς θυσεων, h. e. Aegyptii Soli, Lunae et Baccho ipso plenilunii tempore fues
maestant. HORATIVS autem generatim omnes omnium nationum ho-
nestos socios hoc officium sequi, adfirmans, canit: h)

Vir bonus ille deos vel porco vel boue placat.

Porcum igitur hoc sensu sacrum appellari posse, neimo sere negabit. Ab
hoc enim animali primos homines immolandi bestias initium cepisse, OVI-
DIVS est auctor, his vsum illius religiosum innuens; l)

— — — prima putatur

hostia sus meruisse mori.

id quod alio loco verbis mutatis repetit: k)

Sus erat in pretio, caesa sue festa colebant.

Et quidem geminam ob causam nonnisi certa animalia ad sacrificia deorum
deslinabantur: quia nimis certis diis inuisa et digna putabantur, quorum
inimicus sanguis ad eorum aras profunderetur: aliis vero grata atque accepta
existimabantur, quorum cruento illos placatum iri, censebant. Quia mente
Baccho caper, capra Palladi, equus Marti, Neptuno tauri, Hecatae canes, etc.
immolabantur, quod fabularum architecti multis verbis exponunt. Neque
aliam fuisse causam, cur ab hominibus profanis etiam porci ad sacra fa-
cienda deslinati fuerint, in compendio ostendemus, initium a CERERE
ideo facturi, quia huic deae frequentissima sacrificia porcis maestatis sunt
oblata. Haec vero frugum et anni prouentus effectrix et conferuatrix, no-
men a ωρᾳ h. e. arando nausta, prima mortales vsum aratri et agri tractandi
doxit. Quum vero Triptolemus, illius alumnus, initium agrorum coleu-
dorum fecisset, et porcus semina rostro erumperet, hic reum ad Cereris
aram adductum eidem deae immolauit, quae non inuita ab hoc hoste in-
fenso iustissimam poenam sumvit. l) Confirmat hanc sententiam AELIA-
NVS, his verbis: m) Αθηναῖοι ἐν τοις μυστηρίοις καταθύεστι ταῦς καὶ μαλακοῖς λυμανοῖς γαρ τα ἀγέαντα εἰσπηδησταὶ πολλακις τεσ μεν κορε-
νες των σεχυνων και θεποτε ὄραιες κατακλωται, τεσ δε εξορυττεσ. h. e.
Athenienses in mysteriis iure fues immolant: perdunt enim segetes, et ex spicis
illas saepe vastant, quae nondum ad maturitatem peruererant, alias autem
effodiunt. Idem suo suffragio OVIDIVS probat, porcum morte dignum
iudicans, n)

— — — quia semina pando

eruerat rostro, spemque interceperat anni:
et iterum originem sacrificiorum suillorum expendens, ita canit: o)

Prima

h) L. I. Ep. 16. 58.

Fab. 277.

o) Fast. I. 349.

i) Met. XV, III.

m) de animal. L. X. c. 16.

k) Fast. VI. 179.

o) Fast. I. 349.

l) Hygin.

n) Metam. XV, III.

Prima Ceres auidae gauisa est sanguine porcae;

Vta suas merita caede nocentis opes.

Nam sata vere nouo teneris lactentia fulcis

Eruta setigerae comperit ore suis.

In primis autem grauidam porcam Cereri gratissimam fuisse, scriptores uno ore consententur. Ita enim OVIDIUS agricolas adiunget; p)

Vana laborantes si fallant vota coloni,

Accipiat grauidae tunc suis exta Ceres.

et alio loco: q)

Placentur frugum matres Tellusque, Ceresque,

farre suo grauidae visceribusque suis.

Qua mente numii complures in memoriam largae messis eusi fuerunt, inter quos ille typis expressus adhuc prostat, r) quem C. Vibius fieri iussit, in quo Ceres manibus taedam tenens, ut filiam Proserpinam a Plutone raptam quaerat, ante pedes autem porcam habens. Eiusdem fere argumenti est gemma elegantissime caelata, quam GORIVS cum posteritate communicauit, s) in qua porca porcellos lactans conspicitur. Neque vero illi errant, qui putant, Cereri porcas easque praegnantes boni omnis cauissa, ad fertilitatem agrorum comparandam, fuisse immolatas. Audiamus OVIDIUM; t)

Nunc grauidum pecus est, grauidae quoque semine terrae

Telluri plenae viictima plena datur.

Consentit PHVRNVTVS: u) Θεσιν ύπερ εγκυμονας Δημητερι πανυ
ζινειως, το πολυγονον και ενσυλληπτον και τελετοφορον παρισαντες, h. e.
immolare sues praegnantes, admodum fit conuenicnter, nempe propter terrae
fertilitatem et fruges facile maturescendas. Singularem autem cauissam
AELIANVS in medium adfert, cur Cereri sues sacrificentur, ita dispu-
tans: w) ἐπει τε οιτε σπαραγοντος ἐπαγγειος τας ἀγελας αὐτον, οι de πα-
τεσι τε πυρες, και εις θυγατραν την γην ὁθεσιν, ινα μενην εμβιος και μη θυ-
πο των δεινων αιαλαδη: h. e. postquam sementem fecerint, porchorum greges
adducere solent ad concilcanda semina, et in terram profundiorem et humi-
diorem deprimenda, ut hac quasi occasione terrae obducta maneant, neque
ab autibus rapiantur.

Quum vero Ceres et Tellus unum idemque sint Numen, siquidem,
OVIDIO teste, x)

Officium commune Ceres Tellusque tuerunt;

Haec praebet cauissam frugibus, illa locum:

Telluri

p) ex Pont. Lib. IX 20. q) Fast. I. 671. r) Vaillant Famil. Rom.
Tom. II. Tab. CALVI. p. 541. s) Inscript. Antiqu. Graec. et Rom.
quae extant in eiusdem Vrbibus Etrur. P. I. Tab. VI. fig. 2. t) Fast.
IV. 68. u) de natur. Dcor. p. 213. v) de animal. L X. cap. 16.
x) Fast. I. 670.

Telluri idem honor addicebatur, quo Ceres ornabatur, quod testimonio
HORATII confirmatur, ad eos prouocantis, qui

cum sociis operum et pueris et coniuge focta

Tellurem porca, et Sylvanum lacte piabant. y)

Et quia alio nomine Ceres etiam *Bona Dea* cognominabatur, sacrificia
quoque porcis mactatis illi facta fuisse, IVVENALIS docet, canens; z)

Inde Bonam tenerae placent abdome porcae

Et magno craterem Deam.

Quamvis autem sacra Cereri facienda vinis generis non essent: in singulis
tamen porcus illi caedebaruntur. In Eleusiniis enim mysteriis porcus mysti-
cus primum locum tenebat, cuius mentionem Aristophanes seinel atque
iterum facit. a) Imo cruento illius sedilia templi tincta fuisse, Scholiares
eiusdem comici his verbis indicat: b) ἐνθαυοι οἱ Αθηναῖοι οφαζειν δελ-
φωναι, καὶ ἔπειν τὰς καθέδρας τῷ ἀντοτι ἀντεις εἰς τιμὴν την Δημητρεος,
h.e. Athenienses solebant parvam porcam sacrificare, et cathedras illius san-
guine linere in Cereris honorem. Alia saera huic Deae facienda Ambarvalia
erant, eo consilio instituta, ut vberrimus agrorum prouentus ab ea adiuua-
retur. Ad quae obeunda VIRGILIVS agricolam his verbis excitat: c)

cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,

terque nouas circum felix eat hostia fruges.

Quem locum SERVIVS recte ita explicat: felix, id est, secunda hostia,
quae porca grauida fieri conseruerat. Et talis hostia porca praecidanea fin-
gulari nomine insigniebatur, quia piaculi gratia ante fruges metendas Cereri
immolabatur, cuius rationem et ritum CATO prolixis verbis exponit. d)
Non autem solum ad lustrando agros, sed etiam ad manes eorum placan-
dos, qui in bello occubuerant, porcos mactabant. Id quod exemplo Aeneae
constat, qui, Mezentio occiso, quum vicit Pallantis mortui corpus magno
pompae adparatu ad Euandri vibem remitteret, iusta eidem hac solemani-
tate persoluebat: e)

Setigerasque fues, raptasque ex omnibus agris

in flammam iugulant pecudes.

Huc illa etiam sacrificia referenda videntur, quum aliquis fui purgandi
causa propter caudem factam porcellum mactaret, ut sacerdos illius san-
guine manus rei lauaret. Quem ritum APOLLONIVS Rhodius his
verbis describit: f)

*περωτα μεν ἀτρεπτοιο λυτηριον ἡγε Φονοιο
τεναψενη καθυπεζε σουσ τεκοσ, ησ ἐτι μαζοι*

πλημμυροι

y) L. II. Epist. I. 142.
Aet. III. Sc. III. 25.
re rustic. Cap. I. 34.

z) Sat. II. 86.
b) ad l. c.
e) Ach. XI. 188 sqq.

a) Acharn Aet. III. Sc. I. 17. et
c) Georg. I. 343.
d) de
f) Argon. L. IV. 104 sqq.

πλημμενον λοχιν εν υδρος, αιματι χειρας
τεγγεν επιτμηγσα δεγν, h. e. sacerdos femina desuper porcel-
lum adducens, cuius ubera adhuc ex vtero grauido turgebant, abscissa cer-
vice manus (*rei*) tingebat. Quae verba Scholiares hoc commentario illu-
strat: Λυτηριο το καθαριον λεγει, ο εις χοιριν μικρον, ο περ οι αγνιζοντες
θυταιτες τας χειρας τα αγνιζομενα τω αιματι αντε βεγχσσων, h. e. Λυτη-
ριον piaculum indicat, quod est porcus minor, quod sepe purgaturi sacrifici-
ant, et manus hominis purgandi sanguine illius madescent.

Plures vero deos et deas porcum sacrum pro sacrificio accepisse,
idoneis testimonii potest probari. Nam Ioui, deorum maximo, hoc ani-
mal, et quidem masculini sexus, immolatum fuisse, THEOCRITVS
docet, monens: g)

Ενι επιγένεξαι καθηπερτεροφ αιγεγενον χοιρον, h. e. summo Ioui ma-
στari decet porcum masculum. Neque minus eiusdem conungi Iunoni eun-
dem cultum fuisse praesitum, VIRGILIVS non dissimulat, narrans,
quid Aeneas fecerit, quum felici omne in suem incurriteret; h)

candida per sylvam cum foetu concolor albo

procubuit, viridique in littore conspicitur fus:

quam pius Aeneas merito tibi, maxima Iuno,
maestat, sacra ferens, et cum grege fijit ad aram.

Diis autem Laribus etiam hoc animal, eam ob caussam pro sacrificio obla-
tum fuisse, quia ad ciborum delicias et ad escam domesticam exhibetur,
quibus familiam nostram abundare, optamus, HORATIO teste discimus,
qui Phidilae adsfirmat, fe gratisimum Diis officium praesitum,

si thure placarit vel horna

fruge Lares, auidaque porca. i)

alio autem loco k) homini infania liberato suadet, vt

— immolet aequis

bic porcum Laribus.

Nam homines infanos et Furiis agitatos hoc sacrificio sanatos fuisse, ex
PLAVTO constat, l) ubi Menaechmus ex Cylindro querit: quibus pre-
tiis hic veneunt porci sacres, vt insanus ille pietur? et iterum: m) rem diui-
nam faciam Laribus, nam sunt domi agni et porci sacres. Neque diis Geniis
hunc honorem dispuisse, HORATIVS docet, n) amicum, quem ad
convivium inuitabat, his compellans:

— — — cras Genium mero

curabis et porco bimestri.

Imo ipsi Veneri suem fuisse immolatam, et quidem eam ob caussam, quod,
caesa

g) in Hercul. parv. Idyl. XXXI. 97.
od. 23.

h) Aen. VIII. 81 sqq.

i) L. III.

k) L. II. Sat. III. 164.

m)

in Rudent. Act. IV. Sc. 6.

n)

L. III. od. 17.

caesa hac victima, caedem Adonidis, quem impense amauerat, se hoc modo
victisci putabat, et STRABO adfirmat, o) et EUSTATHIVS, p) ita
disputat : Τη Α' φεοδιτή ὁ εὐρεός, μαλισκά πορφύρας Αἴγυοις, παρθένοις καὶ νομού^ς
ἔσχεται τα γῆνες, h.e. Veneri sus sacrificabatur, maxime apud Argivios, apud
quos etiam festum celebrabatur, οὐσία adpellatum.

His igitur Numinibus, quorum in gratiam et honorem porcus olim
fuit immolatus, indicatis, restat, ut paucis etiam de tempore et occasione
quaeramus, ubi et quo consilio porci olim fuerint sacris vībus addiciti? Ex
iis vero, quae iam diximus, intelligitur, porcos variis locis et diversis tem-
poribus inferuiisse. Nam carnes huius animalis diebus solemnibus destinatas
fuisse, OVIDIUS testatur: q)

fus erat in pretio, et caesa sue festa colebant.

cui IVVENTALIS suffragatur, natales epulas ita describens: r)

Moris erat quondam, festis seruare diebus

Sicci terga suis, rara pendentia crato,

Et natalitium cognatis ponere lardum.

Praecipue vero hoc animal ad lustrationes destinatum fuisse, ex eo adparet,
quod PAVSANIAS omnem porcum χοιρὸν ἐπιτηδεῖον προς καθαρισμον,
h.e. necessarium ad expiations adpellat, s) AESCHYLVS vero sacrificia
nomine καθαρισμῶν χοιροτροπῶν, lustrationum caesis porcis factarum
comprehendit. t). Praeterea antiquos reges et summae dignitatis viros olim
in Hetruria nuppiarum auspicia hoc sacrificio initiasse, VARRO docet. n).
Porcis mactatis etiam foedera inita et confirmata fuisse, exemplo Romuli,
et Sabinorum regis, Tatii, VIRGILIVS probat, w) qui conciliati
armati Iouis ante aras, paterisque tenentes
stabant, et caesa iungebant foedera porca.

Theatra autem et conciones publicas porco olim fuisse expiata, POLLVX
his verbis indicat: x) ἐκαθαίρειν χοιρίδιοι μικροὶ την ἐκκλησιαν καὶ το
θεατρον. Et hoc quidein expiandi officio functos Peristriarchos dictos fuisse,
teste SVIDA docemur; y) εἴθος ήν Α' θηναῖς, καθαίρειν τὴν ἐκκλησιαν καὶ
τα θεατρα, ποιητας τα δημιουροδει μικροὶ πανυ χοιρίδιοι, ὅπερ
ωνομαζον Καθαροια. Tetro de ἐποιην οι λεγομενοι περισαρχοι. h.e. more
erat receptum Athenis, coetum, theatra et generatim omnes populi conciones
paruis porcellis expiare, quae solennitas καθαροια dicebatur. Hoc vero fa-
cientes Peristriarchi audiebant.

Quae

o) Geogr. L. IX. p) in Homer. Iliad. l. q) Faft. VI, 179. r) Sat.
XI, 83. s) Lib. IV. cap. 17. t) in Eun. p. 283. u) de re rust.
II. 4.9. v) Aen. VIII, 640; x) Onomast. L. VIII. c. IX, 24.
y) Voc. Καθαροιο.

Quae quum ita sint, nemo non videt, quo sensu porci ab hominibus profanis et profanorum deorum cultoribus sacri vel etiam mystici fuerint appellati, quod postremum cognomen non solum ab Aristophane locis supra allegatis, sed etiam a TIBULLO adhibetur, a quo adducitur

hostia de plena mystica porcus hara. z)

Quo super loco ea legi merentur, quae M V R E T V S est commentatus. a)
Quo vero maiori in pretio apud homines profanos porcus erat; eo vehementiori odio Iudei hoc animal prosequuntur, quippe a cuius vnu et esu Deus illos non solum dehortatus erat, b) sed etiam eos grauiter obiurgauerat, qui porcis sese inquinabant, c) Et idem praeceptum Talmud repetit, his verbis conceptum: d) יִשְׂרָאֵל נֹזֵב כָּל־מִזְבֵּחַ, h. e. *Izraelita nullo loco porcos educato.* Et IVVENALIS mores Iudeorum perstringens, hoc imprimis nomine eos notat, quod c)

non distare putant humana carne suillam.

Sed plura hanc in rem addere chartae angustia non permittit. Quare ad id veniamus, quod officium scribendi nobis imperauit. Hoc vero orationem indicat, quae in memoriam anniversariam beneficij ECCARDORICHTERIANI publice est habenda, quod iis scholae nostrae alumnis quotidie victu laborali prospicit, qui ad eam familiam vel cognitione vel affinitate referuntur. Et quia gravissimi gymnasii nostri domini INSPECTORES et CVRATORES, tanta fide hanc munificentiam adhuc conseruant et tuentur, quanta sedulitate Administrator officio suo fungitur, hi iuvenes alimentarii in hac rerum angustia et annonae caritate bene intelligunt, quantum pretium huic liberalitati sit statuendum. Hac mente et DEO et PATRONIS honoratissimis meritas gratias persoluet adolescens ex propria Eccardo-Richteriana oriundus, et adhuc beneficentia illa fruens,

CARL HENR. LINGKIVS,

Freiberg.

qui praedictiones et ominations, quae nostra aetate et venditantur, et iactantur, in memoriam reuocans, *de vanitate et futilitate vaccinationum* sermone Latino perorabit. Ut igitur nouo beneficio scholam nostram devinciat, rogamus, PATRONI et FAVTORES honoratissimi, ne cras ante meridiem hora nona audita, auditorium nostrum vestra benevolia praefentia cohonestare nolitis, P. P. Freib. MDCCCLXXII.

d. XV. Iun.

- z) L. I. El. IO. a) Var. Lect. L. III. c. 7. b) Lev. XI, 7. Deut. XIV; 8.
c) Ies. LXV, 4. LXVI, 3. 17. d) in Tract. בְּנֵי קְנָעָן Cap. VII, §. 7.
e) Sat. XIV. 98.

Yb-627

(811148)

TA>OL

ULB Halle
001 508 164

3





Farbkarte #13



B.I.G.

DE
PORCIS SACRIS ET MYSTICIS
PRAEFATVS

AD
ORATIONEM ANNIVERSARIAM
BENEFICIO
ECCARDO-RICHTERIANO
SACRAM
OBSEQUIOSE
INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN.
RECT.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXLVI.